

imperatore eidem synodo præsedit et de diocesi sua expressius quaedam necessitate urgente exponi in hoc capitulo fecit.

2. Qui sub cura sua primas designatarum provinciarum plures metropolitanos et non primates habet, sicut et Anthiocenus episcopus, qui, ut in gestis synodi Calcidonensis ostenditur¹, in diocesi sua duas Fenices et Arabiam atque tres Palestinas cum plurimis metropolitanis primas horum omnium habet. Unde Innocentius ad Alexandrum Anthiocenum^a episcopum scribit dicens²: Revolventes itaque auctoritatem Nichenae synodi, quae unam omnium per orbem terrarum mentem explicat sacerdotum, quae censuit de Anthiocena ecclesia cunctis fidelibus, ne dixerim sacerdotibus, esse necessarium custodire, *qua super diocesim suam prædictam^{*f. 16.} ecclesiam, non super aliam³ aliquam provinciam recognoscimus constitutam. Unde advertimus non tam pro civitatis magnificentia hoc eidem adtributum, quam quod prima primi apostoli sedes esse monstratur, ubi et nomen accepit religio christiana et quae conventum apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit quaeque urbis Romae sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum apud se consummatumque gauderet. Itaque arbitramur, frater carissime, ut, sicut metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic et ceteros non sine permissu conscientiae tuae sinas episcopos procreari^b. In quibus hunc modum recte servabis, ut longe positos litteris datis ordinari censeas ab his, qui nunc eos suo tantum ordinant arbitratu, vicinos autem, si aestimas, ad manus impositionem tuam gratiam statuas pervenire. Quorum enim te maxime spectat cura, praecipue tuum debent mereri iudicium.

3. Quae sententia sancti Innocentii de Anthiochena ecclesia manifeste^c nobis explanat, quod Nichenum concilium dixerat⁴ de Alexandri^ana ecclesia, designans Egyptum, Lybiam et Pentapolim,^{*f. 16'.} ut horum omnium habeat potestatem. Explanat etiam parilem morem urbis Romae episcopum, quoniam licet in toto orbe terrarum sollicitudo omnium ecclesiarum ad illum pertineat, tamen antiqua consuetudo fuit et ex antiquo ista equa consuetudo est Romano

^a) o übergeschrieben.

^b) Zweites r auf Ras.

^c) e am Ende

auf Ras.

¹) Vgl. MANSI 7, 179ff. 732 f. Jedoch deckt sich die Entscheidung des Konzils von Chalcedon nicht mit unserem Text; s. auch HEFFELE, *Konciliengeschichte* 2², 477. 502 f. ²) MIGNE 67, 255 c. 45; HINSCHIUS, *Decr. Pseudoisid.* S. 547 f. c. 1 (J-K. 310). ³) Vgl. oben S. 59 N. 4. ⁴) MIGNE 67, 148 c. 6.